

ARTICULUS VII.

Quot instantibus completa fuerit via Angelorum?

Um Angelus sit supra tempus rerum corporalium, instantia diversa in his, quae ad Angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundum successione in eorum actibus, ita ut tot sint instantia temporis Angelici, quot sunt eorum operationes diversae, sive secundum substantiam, sive secundum modum intrinsecum, non coexistentes, sed sibi succedentes; quia, si simul existerent quantumvis diversae, non constituerent tempus, de cuius ratione est prius & posterius, sed unico instanti mensurarentur. Unde etiam fieri potest, quod unum instans Angelicum correspondeat pluribus instantibus nostri temporis, si nempe eandem operationem aliquandiu continet. Quare ergo, quot instantibus completa fuerit via Angelorum? est quare, quot actiones intrinsecè diversas successivè elicerint a primo instanti suae creationis usque ad terminum damnationis, vel glorificationis inclusive, id est comprehendendo etiam instans, in quo fuerint vel damnati, vel glorificati. De via malorum Angelorum levis est difficultas, gravior de via bonorum Angelorum.

Dico 1. Via malorum Angelorum fuit completa tribus instantibus. Est communis contra Cajet. qui in eodem instanti reponit culpam, & poenam malorum Angelorum, meritum & praemium bonorum.

Prob. Tot sunt instantia in Angelis, quot sunt in eis operationes distinctae sibi succedentes; atqui tribus operationibus distinctis sibi succedentibus mali Angeli compleverunt viam: 1. Meruerunt, sicut boni Angeli, per conversionem ad Deum. 2. Peccaverunt. 3. Poenam peccati contra voluntatem receperunt. Hanc autem ultimam operationem esse distinctam a secunda, & cum ea simul esse non posse, patet; quia nemo potest simul affici summa delectatione, & summa tristitia, neque esse simul in via, & extra viam; atqui Angelus in instanti peccati summa delectatione, & complacentia in sua perfectione afficiebatur, & erat in via; in instanti damnationis summa tristitia afficiebatur, & erat extra viam.

Circa viam bonorum Angelorum, ut dixi, major est difficultas, & contentio etiam inter Thomistas. Quidam volunt eam fuisse completam duobus tantum instantibus. Ita Bannes, Joannes a S. Thom. Sylvius, Serra, Contensonus. Alii tribus; ita Capreolus, Salmantic. Gonet, &c. Utraque sententia est probabilis, & habet fundamentum in D. Thom. utramque problematice proponam; breviter tamen, nec enim video, quantae sit utilitatis haec quaestio, ut attentorem discussionem mereatur. Igitur

Dico 2. Probabile est, viam bonorum Angelorum completam fuisse tribus instantibus.

Prob. 1. ex S. Thom. qui q. seq. 63. art. 6. ad 4. dicit, de Angelis, quod prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt distincti, & ideò in 1. instanti omnes fuerunt boni, sed in 2. fuerunt boni a malis distincti: ergo pro bonis sicut pro malis fuit duplex operatio, & duplex instans ante terminum. Respondent defensores oppositae sententiae, sensum horum verborum S. Thomae esse, bonos esse distinctos a malis in secunda operatione & 2. instanti, quae fuerunt in Angelis malis, non in bonis: sicut si diceremus brutum distingui ab homine per rationalitatem, quia ea caret, & solus homo ea gaudet.

Prob. 2. Conclusio ratione. In Angelis bonis non secus ac in malis tres fuerunt operationes distinctae sibi succedentes usque ad terminum beatificationis inclusive: ergo tria instantia. Prob. Ant. 1. Fuit in ipsis in instanti creationis actus charitatis liber quoad exercitium, & quoad specificationem, communis bonis & malis. 2. Postea fuit actus charitatis perfecte liber quoad specificationem & quoad exercitium. 3. Tandem adeptio gloriae.

Negant alii, secundum actum distingui a primo, & volunt esse primum continuatum; & in hoc sita est difficultas. Prob. Ergo esse actum a primo distinctum. 1. Quia in secundo actu erat iudicium practicum a primo distinctum: etenim in 1. instanti intellectus iudicabat, & imperabat propriam excellentiam beatitudinis naturalis esse amandam cum subiectione ad supernaturalem: in 2. instanti iudicabat esse sic amandam, non obstante tentatione Luciferi, & sequacium invitante ad oppositum; atqui haec iudicia practica sunt distincta, tum quia versantur circa objecta distincta, tum quia ubi insurgit nova difficultas vincenda, requiritur novum, & speciale iudicium practicum, quo actio illa imperetur, & difficultas vincatur; ubi autem est distinctum iudicium practicum, est distinctus actus voluntatis, quippe qui sequitur ad iudicium practicum, a quo regulatur. Imò, quamvis iudicium istud novum non imperaret me-

vum actum voluntatis, sed tantum perseverantiam in eodem ut vult Contensonus (quod tamen negant huius praesentis sententiae Patroni) nihilominus existimant, solam distinctionem in actibus intellectus sufficere ad distinctionem instantium in Angelis.

Prob. 3. Dato, hos actus esse invariatis secundum substantiam, variantur saltem secundum modos intrinsecos, & impossibiles, quod sufficit, ut constituant distincta instantia; siquidem instans Angelicum nihil sit aliud, quam una operatio invariabilis manens quoad intrinsecam: ergo. Prob. Ant. 1. primus actus fuit liber quoad exercitium tantum & necessarius quoad specificationem. Secundus fuit liber quoad specificationem, & exercitium; atqui necessitas & libertas sunt modi intrinseci actuum; non enim sunt denominationes extrinsecae, & aliunde libertas in actu est quaedam ratio vitalitatis: ergo.

Confr. Actus imperfectior, quem elicit Angelus in 1. instanti creationis, cum esset necessarius quoad specificationem, dirigebatur cognitione proponente objectum sub ratione boni tantum; actus autem perfecte meritorius, quem postea elicit, cum esset perfecte liber, tam quoad specificationem quam quoad exercitium, dirigebatur cognitione proponente objectum sub indifferentia; atqui hi duo actus intellectus, seu haec duae cognitiones dirigentes sunt impossibiles: ergo meritum inchoatum, & meritum perfectum in Angelis mensurantur duobus instantibus. Multiplicitas enim actuum ex parte intellectus, ut jam dictum est, sufficit ad multiplicanda instantia Angelica; non enim est ratio, cur actus voluntatis multiplicarent instantia Angelica, & non actus intellectus, maxime cum isti sint nobiliores & excellentiores illis. Haec pro 1. sententia: nunc pro altera.

Dico 3. Probabile est, viam bonorum Angelorum oompletam fuisse duobus instantibus, uno quo meruerunt, altero quo glorificati sunt.

Prob. 1. ex D. Thom. S. Doctor hic art. 5. o. dicit: Unde relinquitur, quod statim post unum actum charitate informatum Angelus beatus fuit. Et si dicas, S. Doctorem loqui de actu charitatis complete libero & deliberato, qualis non fuit nisi in 2. instanti: contra est, quia S. Doctor q. 63. seq. art. 6. dicit, bonos Angelos fuisse beatos, non solum post primum actum, sed post primum instans: Cum Angeli, inquit, per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniunt, si diabolus 1. instanti in gratia creatus meruisset, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum praestitisset peccando: ergo boni Angeli, qui impedimentum non praestiterunt peccando, post primum instans fuerunt beati.

Respondent primae sententiae Patroni, S. Thom. dum dicit, si diabolus in 1. instanti in gratia creatus meruisset, loqui de merito perfecto & plene deliberato; cum certum sit ipsum meruisse, non secus ac bonos Angelos, merito imperfecto, & tantum merito perfecto concedatur gloria. Cum ergo subdit: Statim post primum instans beatitudinem accepisset, non intelligit de 1. instanti via Angelorum, sed de 1. instanti perfecte libertatis, & perfecti meriti.

Prob. 2. Conclusio ratione: Actus charitatis, quem boni Angeli elicerunt in 1. instanti creationis, idem perseveravit dum mali Angeli peccabant: ergo. Prob. Ant. Licet iste actus non esset 1. perfecte liber & deliberato, id tamen non erat ex defectu cognitionis, & advertentiae ut in nobis, sed ex defectu prioris actus, quo Angelus seipsum moveret, & ex propria deliberatione procederet, quia in isto 1. actu a solo Deo specialiter movente movebatur. Unde Angelus, semel in actu positus, ex quo seipsum movere, & de sequenti actu deliberare potuit, inde sui juris factus potuit eundem actum mutare & peccare, sed non mutaverit, quin potius in illo perseveravit, non obstante Angelorum tentatione. Sicut, si unus bonus Angelus impugnatus successivè a pluribus malis, a 1. fortiter, ab aliis fortius, iudicaret persistendum esse in bono, primum non obstante forti impugnatione, deinde non obstante fortiori, tandem non obstante fortissima, quamvis forte ibi intervenire diversa iudicia practica, maneret tamen unus actus voluntatis perseverantiam in proposito, nec essent plura instantia. Ita in nostro casu.

Quam voluerit sententiam, eligat lector, perinde est. Sed curiosius.

Quaeritur, quandiu duraverit quolibet ex his duobus vel tribus instantibus, per correspondentiam ad nostrum tempus? R. 1. primum instans, in quo boni & mali Angeli imperfectè meruerunt, duravit unico instanti nostri temporis.

Colligitur (Hic q. 63. art. 6. o.) ex Auctore dicente, quod sit probabilis, & dictis Sanctorum magis consonum, quod statim post primum instans creationis diabolus peccaverit. Non dicit simpliciter, post primum instans, sed post primum instans creationis, ut significaret illud instans non correspondere temporis, sed instanti nostri temporis, sicut instans ipsis creationis, quae fuit omnino instantanea & indivisibilis.

Ratio (Ibid. ad 3.) est; quia, cum post primum instans creationis, omnino indivisibile, Angelus potuerit peccare; si non peccasset, sed in amore inchoato perseverasset, aut perfectionem eliciisset, talis actus, vel perseverantia, vel de novo elicitus, fuisset perfecte liber, & plene meritorius, quatenus processisset a voluntate jam in actu, & potente se ex electione movere ad continuationem ejusdem actus, vel ad productionem alterius boni; quae semel posita nunquam peccasset, quia haec est conditio naturae Angelicae, ut post primum actum perfecte liberum, & ex propria motione elicitum, sit inflexibilis, ut dicam infra.

Si dicas 1. Genes. 1. dicitur, quod sexto die conditionis mundi vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona: ergo tunc Angeli nondum peccaverant. 2. Ezech. 18. de Lucifero dicitur: Ambulasti peccatus in cunctis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te; quae verba indicant aliquam moram. R. ad 1. esse intelligendum de operibus Dei, quae ibi proprio nomine a Deo creata referuntur, quales non erant Angeli; aut si ad illos extendas, dicendum est cuncta, quae fecerat Deus,

esse bona, prout ab illo procedebant, sicut intelligitur illud Eccles. 39. Opera Domini universa valde bona. (Ibid. ad 1.) Ad 2. R. quod per motus corporales, qui per tempus mensurantur, quandoque in Scriptura intelliguntur metaphoricè motus spirituales instantanei, & sic per ambulationem intelligitur motus libere arbitrii tendentis in bonum.

R. 2. ad questionem. Secundum instans, in quo boni Angeli perfecte meruerunt, & mali peccaverunt, correspondet parti nostri temporis, quia in tempore nostro post intrans sequitur pars. Quamdiu autem istud tempus duraverit? Incertum est. Id solum constat, malos Angelos damnatos fuisse ante lapsum Adae, siquidem unus ex ipsis, sub figura serpentis, Evam tentaverit.

R. 3. Instans, quo boni primò glorificati sunt, & mali damnati, coexistit instanti nostri temporis, quia actiones Dei non pendunt a tempore, sed sunt instantaneae. Quantum verò ad permanentiam, utraque, tam glorificatio, quam damnatio, mensuratur aeternitate participata.

DISSERTATIO V.

DE CULPA ANGELORUM.

D. Thom. Quaest. 63.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli potuerint peccare, possitque dari creatura ex natura sua impeccabilis?

Dico 1. Fide certum est, Angelos potuisse peccare. (Hic quaest. 63. art. 1. o.)

Prob. (Ibid. in arg. s. c.) Fide certum est, Angelos reipsa peccasse: ergo. Prob. Ant. ex Script. Job 4. dicitur. In Angelis suis reperit pravitatem. 2. Petr. 2. Deus Angelis peccantibus non peperit. Matth. 25. Discedite a me malefacti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. 1. Joann. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio peccat Diabolus, & alibi: ergo. Rationes proferuntur conclus. seq. sed

Petes, quomodo Angelus potuit peccare? Non enim peccavit ex errore, vel ignorantia; tum quia in eo error, aut ignorantia esse non potest; tum quia alius fuisset miser ante peccatum. Neque ex passione, quia passionis est expertus; neque ex pravo habitu, quia ante peccatum non precesserunt mali actus, ex quibus acquireretur malus habitus; nec cum habitu a natura, quia fuit creatus perfectus. Quae ergo via, qua rima peccatum in Angelorum mentes irripere potuit? Haec difficultas est gravissima, & vix solubilis. Attamen

R. Angelus peccasse ex ignorantia, seu errore, non specialiter, & strictè sumpto, pro assensu quo quis assentitur falso tantquam vero, vel pro iudicio speculativo, quo quis iudicat malum bonum; sed ex errore, seu ignorantia generaliter sumpta pro actuali inconsideratione, qua quis non attendit, neque considerat practice actum, quae posset, & deberet considerare. Non ergo erravit Angelus iudicando aliquid bonum, quod bonum non est, sed non considerando bonum superius, ad quod bonum proprium erat referendum. Proposuit namque intellectus Angelicus voluntati propriam excellentiam ut bonam, & amandam, & in hoc non erat error; at non proposuit, ut poterat, & debebat, ut amandam cum subiectione ad divinam, & cum ordine ad Deum ut auctorem, & finem supernaturalem, in quo est defectus actualis considerationis practicae, idè ignorantia, seu error, qui dicitur pravæ electionis: hanc autem excellentiam, sic propositam sine subiectione, & ordine ad Deum ut finem supernaturalem, dum amavit Angelus, peccavit.

Neque inde sequitur, quod assumitur in petitione, aliquem defectum, seu ignorantiam fuisse in Angelo antequam peccaret, idè quod fuisse miserum ante peccatum: quia, cum ista inconsideratio esset interpretativè voluntaria, ut modo dicam, jam tunc peccabat Angelus, quoad regulam, quam considerare debebat, non considerabat practice; unde ista consideratio non erat causa, sed pars peccati. Peccat enim creatura intellectualis inchoativè, dum non considerat, quae potest, & debet considerare; & consummative, dum intellectu non considerante voluntas se applicat ad opus. Est autem, ut dixi, dum intellectus proponente interpretativè voluntaria, quatenus, dum intellectu proponente objectum sine debita attentione ad regulam, voluntas se applicat ad agendum, convincitur velle saltem interpretativè istam inconsiderationem, & sic est unum peccatum integratum ex illa inconsideratione indirecte, & interpretativè voluntaria, & ex Theol. Billuani. Pars Prima.

cipla sunt supernaturalia, nulli autem creaturæ potest esse conaturalia principium naturale; quia ista creatura debet esse substantia supernaturalis, cui conaturalia forent principia supernaturalia; substantiam autem supernaturalem implicite, probavimus in Tract. de Deo dissert. 4. art. 1. §. 4.

3. Peccare (*Hic q. 63. art. 1. o.*) nihil est aliud, quam declinare a rectitudine actus, sive accipitur peccare in naturalibus, sive in artificialibus, sive in moralibus; atqui voluntas cuiusvis intellectualis nature, sive Angelicæ, sive humanæ, secundum naturam suam considerata, potest declinare a rectitudine sui actus: ergo. Prob. Min. Solum illum actum a rectitudine declinare nunquam contingit, cuius regula est ipsa virtus agentis, seu illi necessario connexa; si enim manus artificis esset ipsa regula incisionis, aut esset ipsi necessario connexa, artificis nunquam posset errare manu aliquid scindendo: sed, quia regula incisionis non est ipsa manus artificis, nec est illi necessario connexa, potest manus deflectere ab illa scindendo, & peccare; atqui nulla voluntas creata est suorum actuum regula, nec eam habet necessario connexam: ergo. Prob. Min. Regula cuiuslibet voluntatis creata est voluntas divina, nec voluntas creata habere potest rectitudinem in suo actu, nisi secundum quod regulatur ab illa divina voluntate: ergo.

Dices 1. Non repugnat dari creaturam, quæ sit ex natura sua determinata ad bonum morale ut sic, & indifferens ad bona particularia, eo modo quo beati sunt in cælis; atqui hoc posset esse ex natura sua impeccabilis simpliciter; quia nullam actionem malam posset facere, sed tantum omittere aliquam bonam, faciendo alteram bonam, in quo non est peccatum: ergo. R. D. Maj. non repugnat dari creaturam, quæ sit ex natura sua determinata ad bonum morale ut sic, naturalis ordinis, C. supernaturalis ordinis, N. quia ad minus debet esse illi conaturalis cognitio boni supernaturalis, & ideo esse substantia supernaturalis, quæ repugnant. Confer loc. cit. de Deo.

Dices 2. Impeccabilitas non infert perfectionem infinitam, alioquin non posset communicari creaturæ etiam per gratiam: ergo potest esse conaturalis creaturæ. R. D. Ant. Impeccabilitas proveniens ex gratia non importat perfectionem infinitam, C. Ant. proveniens ex principiis intrinsicis nature, N. Ant. sic enim importat substantiam supernaturalem, cui conaturalia sunt principia supernaturalia operationum tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, quod arguit perfectionem infinitam.

Inst. Impeccabilitas non repugnat nature, quæ creatura est, quia alioquin non posset illi communicari per gratiam; neque quia libera est, quia ad libertatem non requiritur potentia peccandi: ergo. R. D. Ant. ut antè: impeccabilitas per gratiam non repugnat creature, ut creatura est, C. Ant. impeccabilitas ex principiis intrinsicis nature, N. Ant. & Conseq.

Dico 3. Probabile est, posse produci a Deo creaturam, quæ sit ex natura sua impeccabilis contra legem naturalem directe, & immediate, & sic Angelos fuisse impeccabiles; ita ut, si non fuissent elevati ad ordinem supernaturalem, simpliciter non potuissent peccare. Est communis inter Thomistas, videturque esse D. Th. hic art. 1. ad 3. ubi dicit, quod naturale est Angelo, quod convertatur motu dilectionis in Deum, secundum quod est principium naturalis esse sed quod convertatur in ipsum, secundum quod est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est ex amore gratuito, a quo averti potuit peccando. Et q. 16. de malo art. 3. Peccatum diaboli non fuit in aliquo, quod pertinet ad ordinem naturalem, sed secundum aliquid supernaturale.

Prob. 1. Potest a Deo produci creatura, in cuius intellectu non possit esse ex natura sua ullus error, vel ignorantia, vel inconsideratio circa naturalia, & talis fuit creatus Angelus, quippe qui uno intuitu omnia naturalia tam speculabilia, quam practicabilia, considerat, ut dixi supra; atqui non potest esse peccatum in voluntate, nisi sit error, vel ignorantia, vel inconsideratio in intellectu; sicut enim voluntas non potest ferri simpliciter nisi in præcognitum, sic non potest ferri defectuose in præcognitum, nisi sit defectuose præcognitum: ergo.

2. Non repugnat produci a Deo creaturam, cui sit conaturalia, & necessaria dilectio Dei, ut auctoris naturalis super omnia saltem quoad specificationem; & ita Angelum fuisse creatum, probavimus supra, huiusmodi enim dilectio est merè naturalis, & proportionata nature intellectuali: atqui talis creatura non posset peccare contra Deum, ut auctorem naturalem: ergo. Prob. Min. 1. quia dilectio Dei super omnia includit obedientiam omnium mandatorum naturalium, & sine illa esse non potest. 2. Quia voluntas, quæ diligit Deum super omnia, ut auctorem naturalem, est necessario conjuncta primæ regule totius bonitatis moralis ordinis naturalis; hæc enim regula est finis ultimus naturalis, consequenter Deus, ut nature Auctori atque voluntas necessario conjuncta primæ regule totius bonitatis non potest ab ea deherere: ergo nec peccare.

3. Potest produci a Deo creatura, quæ sit determinata ex

natura sua ad bonum morale ut sic ordinis naturalis; quia talis determinatio est ex omni parte naturalis, & quid finitum; & licet excludat libertatem specificationis circa finem naturalem, non tamen circa finem supernaturalem, neque libertatem exercitii circa bona particularia naturalia; atqui, posita determinatione creaturæ rationalis ad bonum morale ut sic ordinis naturalis, creatura non potest peccare directe, & immediate contra legem naturalem; quia, quidquid eligat in particulari, semper erit bonum morale: ergo.

Dixi tam in conclusione, quam in probationibus: directe, & immediate; quia hoc ipso quo creatura potest peccare directe contra legem supernaturalem, ex consequenti indirecte, & mediate potest peccare contra legem naturalem. Lex enim naturalis præcipit esse obediendum cuilibet superiori legitime præcipienti: ergo, qui transgreditur directe legem supernaturalem, indirecte transgreditur legem naturalem.

Solvuntur objectiones contra ultimam Conclusionem.

Obj. 1. Ideo probavimus concl. 2. nullam creaturam esse impeccabilem in ordine supernaturali, quia est ex nihilo, & quia non habet necessario conjunctam regulam suæ actionis; atqui itæ rationes pariter militent in ordine naturali, respectivè ad quem creatura pariter, & est facta ex nihilo, & non est regula suæ actionis: ergo. R. N. Min. pro utraque parte. Et quantum ad 1. Quamvis ex eo, quod creatura sit ex nihilo, bene sequatur, quod sit defectibilis in aliqua sua operatione, non sequitur tamen, quod sit defectibilis in omni sua operatione; & dicimus, quod sit defectibilis in ordine ad operationem supernaturalem, & indefectibilis in ordine ad operationem naturalem. Quod ut profundius intelligas, observandum est, quod ex hoc, quod creatura sit ex nihilo, non sit suum esse per se sentiam, adeoque quod non possit habere ex natura sua pro objecto, & sine conaturali Deum ut est in se, neque habere conaturaliter cognitionem supernaturalem, quibus dirigatur ad ipsum ut talem, consequenter quod possit deviare ab ipso ut tali, & peccare contra ipsum ut talem. At verò, licet non habeat Deum ut est in se pro objecto, & sine conaturali, neque cognitionem supernaturalem, quibus dirigatur ad ipsum ut in se est, & ut ad auctorem supernaturalem; inde non sequitur, quod non possit habere ex natura sua pro objecto, & sine conaturali ipsum Deum, non ut in se est, sed tantum ut auctorem naturæ, & voluntatem determinatam ad diligendum ipsum ut talem, & ab bonum morale ordinis naturalis ut sic, simul & intellectum determinatum ad proponendum bonum morale honestum; quia hæc omnia non excedunt ordinem naturalem, consequenter quod sit impeccabilis contra Deum ut naturæ auctorem. Ad 2. partem Minoris R. quod hoc ipso, quo creatura est ex natura sua determinata ad bonum morale ut sic ordinis naturalis, & ad necessario diligendum Deum ut auctorem naturæ, habeat necessario sibi annexam suæ operationis regulam in ordine naturali; quæ regula, ut dixi, est ipse Deus ut ultimus finis naturalis, unde est virtualiter & participative sua regula.

Obj. 2. Quamvis potentia peccandi non sit de essentia libertatis create, ut patet de libertate Dei, est tamen de ratione libertatis create, ut docet S. Th. q. 24. de verit. art. 7. ad 4. & in 2. d. 23. q. 1. art. 1. ergo. R. neque nos denegare creaturæ cuiusvis creabili absolute & simpliciter potentiam peccandi, sed peccandi in certo ordine, scilicet naturali; & dato quod non esset elevata ad ordinem supernaturalem, non ideo tamca esset simpliciter impeccabilis, quia haberet semper potentiam obedientialem & capaciatem, ut elevaretur ad finem supernaturalem; & ideo posset, quantum est ex natura sua peccare: sicut, si nulla lex esset homini imposita, posset tamen peccare, quia posset ei lex imponi.

Obj. 3. Dæmones quotidie peccant contra legem & finem naturalem, mentiendo, blasphemando, homines ad furta, adulteria, homicidia, &c. excitando: ergo. Responderet communiter, hæc omnia a Dæmonibus parari ex odio Dei, ut auctoris supernaturalis, ac proinde peccare quidem directe & immediate contra legem & finem supernaturalem; indirecte autem tantum & mediate contra legem, & finem naturalem. Res illustratur exemplo: ipsius demum damnati & desperantes appetunt destructionem sui, non directe & per se, sed enim non possunt, cum se necessario saltem quoad specificationem diligant, sed indirecte & per accidens, ratione scilicet miseriarum, quas patiuntur, adeoque directe & immediate appetunt exemptionem a miseris, & indirecte, ratione miseriarum, destructionem sui; ita ut ratio formalis appetendi destructionem sui sit exemptio a miseris. Ità similiter ratio formalis peccandi in omnibus peccatis Dæmonum est odium Dei ut iusti iudicis, & auctoris supernaturalis.

Respondent quidam, nec malè, Dæmones ex peccato contra Deum auctorem supernaturalem, instabiles factos esse in di-

dilectione Dei ut auctoris naturalis, & perisse eorum rectitudinem naturalem erga illum, subindeque nunc sæpe peccare directe contra legem naturalem. Si dicas, naturalia in Dæmonibus mansisse integra, responderetur id esse intelligendum de naturalibus merè physicis, ut sunt substantia, potentia, & species Angelorum, non de naturalibus moralitate permixtis, ut est dilectio Dei, ut finis ultimi naturalis.

Obj. 4. Ex nostra sententia sequitur: 1. quod gratia non periciat, sed destruat potius naturam, aut saltem ejus perfectionem minuat; quia Angelus in parvis naturalibus foret impeccabilis, elevatus per gratiam ad ordinem supernaturalem fit peccabilis. Et hiac sequitur, 2. noxiam fuisse Angelis elevationem ad finem supernaturalem. R. ad 1. N. sequelam, & ejus probationem; non enim dicimus, quod Angelus in parvis naturalibus foret impeccabilis simpliciter, sed impeccabilis directe contra legem naturalem, & peccabilis indirecte contra illam, si ad ordinem supernaturalem elevaretur. Unde gratia elevationis ex hac parte naturam aut ejus perfectionem non destruit, nec minuit; & ex altera parte elevat. Et hiac ad 2. N. pariter sequelam; non enim ipsa elevatio fuit Angelis noxia, sed ex illa sumpserunt occasionem peccati, & nocuerunt: sicut dici non potest, quod Incarnatio Christi nocuerit Judæis, & peccatoribus; quamvis ex illa Judæi sumpserint occasionem illum occidendi, & ceteri peccatores illum offendendi.

ARTICULUS II.

Quo genere, vel qua specie peccati Angeli primo peccaverint, & nunc peccant?

Quantum ad genus peccati, quidem existimant primum peccatum Angelorum fuisse omissionis. Quantum ad speciem, Scotus reponit primum peccatum Angelorum iniquam luxuriam spirituali, nempe in nimia delectatione propriæ excellentiæ; alii in invidia contra genus humanum, & Christum; communiter in superbia. Unde

Dico 1. Peccatum Angelorum non fuit, nec potuit esse peccatum omissionis, sed commissionis.

Prob. Sicut Angelus uno, & eodem actu intellectus intelligit principia, & conclusiones, & conclusiones in principis, ita uno & eodem actu voluntatis vult finem, & media; & media in fine, quia comprehensivè procedit, ut dictum est; atqui eo actu voluntatis non potest velle 1. omissionem, neque ut finem, neque ut medium: non ut finem, quia finis debet habere rationem boni, omissio autem est merè negatio sui privatio, & nihil, essetque stultum in illa ponere suum finem; imò velle ponere suum ultimum finem in omissione est peccatum commissionis non ut medium, quia tunc jam supponit aliquem finem volitum; non bonum, qui est Deus, omissio enim peccaminosa non potest subordinari Deo ut fini ultimo: ergo supponit finem malum volitum: ergo peccatum commissionis.

Si dicas, hominem posse eligere omissionem malam in ordine ad finem bonum, ut si omittat Sacrum præceptum propriè studium: ergo similiter Angelus. R. N. Conseq. Disparitas est, quod homo non uno, & eodem actu videt conclusiones in principis, nec vult media in fine, sed seorsim; unde potest errare circa media in ordine ad finem. At Angelus, ut dictum est, uno, & eodem actu comprehensivè vult media in fine, unde non potest eligere malum medium, nisi ex amore pravi finis.

Dices insuper: In hoc 1. peccavit Angelus, quod non retulit suam propriam excellentiam ad Deum: ergo 1. peccavit peccato omissionis. R. D. Ant. In hoc 1. peccavit Angelus, quod non retulerit suam propriam excellentiam ad Deum purè omitendo, N. possivè se amando inordinatè, C. Non ergo 1. peccavit Angelus, præcisè quia omisit istam relationem, sed quia se amavit sine ista relatione, unde fuit non omissio actus, sed omissio circumstantiæ actus; peccatum autem omissionis consistit in omissione actus, & non in simplici omissione circumstantiæ actus. Sic, qui legit horas sine attentione, aut qui celebrat sine vestibus sacris, peccat peccato commissionis, & non omissionis.

Dico 2. Primum peccatum Angelorum fuit superbiæ. Est communis. (*Hic q. 63. art. 2. o.*)

Prob. 1. ex Scriptura. Tob. 4. dicitur: *In ipsa (superbia) initium sumpsit omnis perditio.* Eccli. 10. *Initium omnis peccati superbia.* Isai. 14. dicitur de diabolo sub figura Regis Babylonis: *Quomodo cecidisti de celo Lucifer... qui dicebat in corde tuo: in calum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Et Ezech. 28. sub figura Regis Tyri de eodem Lucifero dicitur: *Elevatum cor tuum in decore tuo.* Prob. 2. ex Patribus S. Chrysos. hom. 15. in Joann. dicit: *Non esset e celo ejectus, neque in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se velle (superbiæ) conquisisset.* Hieron. Ep. 83. *Judicium, & Theol. Bibliar. Pars Prima.*

ruina diaboli nulli dubium, quin arrogantia sit. Aug. 12. de civit. cap. 1. & 6. Fulg. ad Monim. cap. 17. S. Leo serm. 4. de collectis. Basil. in cap. 2. Isai. Gregor. l. 17. moral. cap. 14. & alii.

Prob. 3. ratione. Primum peccatum Angeli non fuit, nec potuit esse per modum fugæ, & recessus, se per modum prosecutionis, & amoris inordinati, non rerum corporalium, sed spiritualium; atqui prosecutio, seu amor inordinatus spiritualium in angelo non fuit, nec potuit esse, nisi superbia. Maj. & Min. sunt probanda. Prob. 1. pars Maj. Omnis actus nolitionis, & fugæ supponit actum volitionis, & prosecutionis; quia nolitio seu fuga est circa disconveniens, non est autem disconveniens, nisi respectivè ad conveniens, cuius est lesivum, vel impeditivum; & ideo non fugitur disconveniens, nisi quia amatur conveniens: ergo primum peccatum Angeli non potuit esse per modum fugæ, & recessus, sed per modum prosecutionis & amoris. Ex quo inferes, primum peccatum Angeli non fuisse neque odium, neque desperationem, neque inobedientiam; quia hæc tria se habent per modum fugæ, & recessus.

Prob. (*Ibid.*) 2. pars Maj. Nemo afficit nisi ad ea, quæ sunt suæ nature convenientia; atqui, non corporalia, sed sola spiritualia sunt convenientia nature Angelicæ pure spirituali: ergo primum peccatum Angelorum non fuit amor inordinatus corporalium, sed spiritualium.

Prob. 1. Min. Prosecutio, seu amor honorum spiritualium quantumvis vehemens, absolute, & secundum se non est inordinatus; spirituale enim secundum se est conforme rationi, quia spirituale est, & ideo quanto majora sunt spiritualia, tanto meliora: non sic bonum sensibile in nobis, quod quandoque rationi non subicitur, sed contrariatur: unde non potest esse excessus, & inordinatio in amore spiritualium, nisi in quantum excedit mensuram a Deo constitutam. Non potuit autem esse excessus, & inordinatio in amore Angelico perfectionum spiritualium, quæ sibi debebantur, quippe qui plenè iis cumulatis fuerat in sua creatione: ergo potuit tantum esse excessus, & inordinatio in modo appetendi aliquam excellentiam, quæ sibi non debebatur, puta sive aliquam potentiam, sive honorem, sive scientiam superiorem; vel non eo modo quo debebatur, puta cum aliqua singularitate, aut independentia, non subiectione secundum statutam a Deo legem; quæ omnia pertinent ad superbiam, quæ nihil est aliud quam inordinatus appetitus excellentiæ, seu perfectionis: ergo.

Dices: Ex hac ratione videtur sequi, quod primum peccatum Angelorum fuerit vel nimius amor sui, vel nimia complacentia in propria excellentia, quam Scotus vocat luxuriam spiritualem. R. N. Sequelam. Quia nimius amor sui non constituit speciale peccatum, sed est principium, & circumstantia generalis cuiusvis peccati. Delectatio autem de propria excellentia, vel fuit cum subiectione ad Deum, & tunc non fuit nimia aut peccaminosa, ut patet ex dictis; vel fuit sine subiectione ad Deum, & tunc est superbia; quia superbia est appetitus propriæ excellentiæ sine subiectione ad superiorem, ut singulariter emineat. Hoc sensu Scotum explicant quidam Scotistæ, juxta quem ejus sententia non differt a sententia D. Th. nisi verbo tenus, in quantum Scotus male vocat hanc delectationem luxuriam spiritualem; non enim omnis delectatio inordinata, quæ versatur circa bonum delectabile, est luxuria, aut reductur ad illam; sed ea tantum, quæ versatur circa delectabile secundum tactum, seu in materia venerea; pertinet namque delectatio ad eam speciem peccati, circa cuius obiectum versatur. Unde, si versatur circa cibos, erit gula; si circa rea venerea, erit luxuria; si circa propriam excellentiam, erit superbia.

Repones: Etiam ipsa non subiectio ad Deum non constituit speciale peccatum superbiæ, sed est circumstantia generalis cuiusvis peccati: ergo, R. D. Ant. Non subiectio ad Deum, per accidens, & materialiter intenta, non constituit speciale peccatum superbiæ, sed est circumstantia generalis cuiusvis peccati, C. Ant. Sic, qui fornicatur, per se, & formaliter intendit in illo actu delectationem, & bonum sensibile; sed quia iste actus est a Deo prohibitus, per accidens, & materialiter intendit non subijci Deo, & sic in omnibus peccatis. Non subiectio formaliter, & per se intenta, N. Ant.

Inst. Non subiectio ad Deum per se, & formaliter intenta constituit peccatum inobedientiæ, non superbiæ: ergo. R. D. Ant. Non subiectio ad Deum, ut Legislatorem præcipientem aut prohibentem, & libertatem nostram restringentem per se, & formaliter intenta, constituit peccatum inobedientiæ, & non superbiæ, C. Ant. subiectio ad Deum ut excellentiorem, regulantem, & mensurantem creatam, & propriam excellentiam, per se, & formaliter intenta, constituit peccatum inobedientiæ, & non superbiæ, N. Ant. sicut enim humilitatis est moderari appetitum tendentem in excelsa, apponendo divinæ regule mensuram; ita superbiæ est tendere ad excelsa absque subiectione ad divinam regulam, ut est propriæ excellentiæ mensura.

Insuper jam dixi superius, inobedientiam esse per modum recessus, sique non posse constitui primum peccatum Angelorum. Subsumes; atqui Angelus 1. non intendit per se, & formaliter non subjectionem ad Deum ut regulam, & mensuram suae excellentiae, alias praecessisset error in eius intellectu iudicande & proponente hanc independentiam ut bonam, sique peccasset ex errore proprie dicto, & non ex simplici inconsideratione, ut supra dictum est: ergo. R. D. Subsumptum. Angelus 1. non intendit independentiam a Deo ut mensura suae perfectionis expressae, seu in actu signato, & ex parte rei volitae, C. Subsumptum; non intendit interpretativè, seu in actu exercitio & ex parte modi volendi, N. Non ergo iudicavit expressè, & explicitè hanc independentiam esse bonam, neque eam sic propositam ut rem, vel objectum voluit; alioquin, ut dicit argumentum, errasset in iudicio; sed sic in propria excellentia sibi complacuit, quasi eam a Deo non haberet, sique se gessit ac si Deum caelestia offerentem, & ad supernaturalia vocantem aspiceretur, eique subijci, & ab eo dependere renueret.

Ex (*Ibid.* & in 3. d. 5. q. 1. art. 3. ad 2.) dictis colliges, primum Angeli peccatum non fuisse invidiam; quia invidia nascitur ex superbia, & supponit illam; est enim dolor alienae prosperitatis, & excellentiae, quatenus est impeditiva, & quasi laesiva propriae prosperitatis, & excellentiae; ergo supponit appetitum inordinatum propriae prosperitatis, & excellentiae, qui est superbia. Hunc tamen statim secuta est in Angelo invidia; quia eiusdem rationis est, quod affectus tendat in aliquid appetendum, & quod reaturus opposito; & idè dictum est a quibusdam SS. Patribus diabolus invidia perisse; quia, dum esset in via, non tantum superbia, sed etiam invidia, odio, &c. peccavit; quae tamen peccata cum derivarentur a superbia, & illi subordinarentur, quodam ordine censentur unum, & unum instans Angeli eum constituunt, ut patet ex dictis.

Quantum ad peccata, quibus Angeli nunc peccant: Dico 3. (*Hic cit.*) Secundum reatum culpae omnia peccata in demonibus esse contingit; quia, dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum quoad culpam & maculam incurrunt. (*Ibid.* & ad 3.) Secundum affectum verò illa solum peccata in malis esse possunt, ad quae contingit affici spirituales naturam; spirituales autem naturam affici non contingit ad bona, quae sunt propria corpori, ut iam dictum est, sed ad ea, quae in rebus spiritualibus inveniri possunt; unde in demonibus non possunt esse secundum affectum peccata luxuriae, gulae, avaritiae, & similia, sed maxime superbia, & invidia, & etiam ea omnia, quae & quatenus ex superbia, & invidia derivantur, ut sunt peccata idololatriae, infidelitatis, odii, blasphemiae, desperationis, etiam homicidii, & furti, non ut ipsi discescant, sed vel ut aliis nocent ex invidia, vel ut suis cultoribus donent ex superbia.

Si petas, utrum ira possit esse in demonibus? R. (*Ibid.* ad 2.) Si ira sumatur secundum suum materiale, & formale, non potest esse nisi metaphoricè in demonibus; quia materiale in ira est accessio sanguinis circa cor, quod est passio corporalis, qua carent demones. Si verò ira sumatur secundum suum formale tantum, potest esse in demonibus; quia formale in ira est appetitus vindictae cum tristitia de malo illato. Demones autem sunt capaces tristitiae, & possunt appetere vindictam de injuria, quam apprehendunt sibi esse illatam.

ARTICULUS III.

Circa quod objectum primum superbiat Angelus?

Cum superbia sit appetitus inordinatus propriae excellentiae, in qua quis vult singulariter eminere, difficultas est, circa quod objectum determinat superbiat primum Angelus. An circa Deum, aequalitatem cum ipso appetendo? An circa unionem hypostaticam eam sibi appetendo, & dedignando, quod naturae humanae esset communicata? An circa participatum appetendo potestatem tyrannicam super alias creaturas? An circa beatitudinem supernaturalem, nolendo eam habere ex gratia, & communem cum hominibus? An tandem circa beatitudinem naturalem volendo eam solam habere, & in ea praeminere omnibus aliis creaturis absque elevatione ad supernaturalem, in qua ab aliis adaequari aut etiam superari possent? Haec sunt varia Theologorum placita.

Certum est, Angelum peccasse appetendo esse ut Deus, seu aliquam aequalitatem cum Deo: dicitur enim Isai. 14. ex persona Luciferi: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Et Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.* Insuper de eodem Job 41. dicitur: *Ipsè est Rex super universos filios superbiae:* Superbia autem Antichristi erit, ut ostendat se, tanquam sit Deus. 2. ad Thessal. 2. Unde, quamvis priora testimonia intelligerentur ad literam, ut quidam volunt de regibus Tyri & Babylonis, nihilominus idem proba-

rent; quia, si superbia Angeli apostatè superet superbiam quoruncumque hominum, & isti Reges ed usque superberint, ut voluerint esse similes Deo: ergo a fortiori Lucifer. Sed difficultas est, quam aequalitatem cum Deo appetierit? An aequalitatis, ut vocat hic S. Th. hoc est aequalitatem in natura? An secundum similitudinem tantum?

Dico 1. Angelus non peccavit primò, appetendo aequalitatem cum Deo in natura. (*Hic art. 3. o.*)

Prob. (*Ibid.*) Angelus non potuit appetere, quod cognoscebat esse omnino impossibile; atqui Angelum esse aequalem Deo in natura est omnino impossibile, & id Angelus antè lapsum apprime cognoscebat; comprehendebat enim se esse ens creatum, & a Deo participatum: ergo. Patet etiam Maj. Quia appetitus non fertur nisi ad sibi conveniens; quod autem est absolute impossibile, nullo modo est conveniens, quia id solum est conveniens, quod existit aut dicit ordinem ad existentiam: ergo. Confirm. (*Ibid.*) Dato quòd hoc esset possibile, esset contra naturale desiderium; est enim uniuersum naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum, sicut asinus non appetit esse equus; quia, si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsum non esset: sed in hoc imaginatio decipitur; quia enim homo appetit esse in altiori gradu quantum ad aliqua accidentia, quae possunt crescere absque corruptione subjecti, aestimatur, quòd possit appetere altiozem gradum naturae, in quem pervenire non posset, nisi esse desineret.

Respondent adversarii, equidem Angelum non potuisse appetere esse aequalem Deo in natura, appetitu absoluto, & efficaci, idque probari nostris rationibus; potuisse tamen id appetere appetitu inefficaci, & conditionato, si possibile foret; delectando se in apprehensione huius aequalitatis cum Deo in natura, quod est vanum. Sicut, inquit, si poenitens vellet habere innocentiam, & non peccasse, & in ea apprehensione sibi complaceret, & delectaretur; sicut etiam nos saepe delectamur in fignientis nostris. Sed contra. Primum peccatum Angelorum non potuit versari nisi circa aliquem ultimum finem inordinatè appetitum; tum quia tunc agebatur de negotio omnium gravissimo, a quo omnia sequentia, & totius vitae ratio pendebant; tum quia Angelus naturaliter appetit media in fine, ut dictum est; tum tandem, quia generaliter loquendo prae intenditur finis, quam media, cum media intendatur propter finem; atqui appetitus finis ultimi est efficax; est enim cuius gratia cetera fiunt. Et sanè stultum foret, Angelum suum ultimum finem constituisse in apprehensione alicujus rei impossibilis, & illius omnes actiones suas direxisse, ceterosque Angelos sollicitasse, ut omnem suum conatum in hac chymera prosequenda ponerent. Quae autem opponi possunt ex Patribus, qui videntur asserere Angelum appetivisse aequalitatem cum Deo, intelligendae sunt de aequalitate secundum similitudinem aliquam proportionalem in beatitudine, ut dicam modo.

Dico 2. (*Ibid.*) Primum peccatum Angeli non fuit appetitus principatus, seu potestatis in aliis creaturis inferiores; quia talis appetitus pertinet ad ambitionem, quae sequitur superbiam, cuius est filia.

Dico 6. Quantum ad unionem hypostaticam, res est incerta, & communiter negatur; quia unio hypostatica non est finis, neque naturalis, neque supernaturalis Angeli. Attamen probat Joannes a S. Th. nihil repugnare, quòd, cum Angelis in via revelatum esset mysterium Incarnationis saltem quoad substantiam, inter objecta materialia, circa quae eorum superbia in primo peccato se explicuit, unum fuerit unio hypostatica inordinatè appetita naturae Angelicae, id est, solam ratione propriae excellentiae, & quia se digniorem existimavit illo summo honore, indignè ferens eum naturae humanae sibi inferiori concedi. Quod totum pertinet ad superbiam. Quamvis enim in superbia formalis ratio, & motivum sit propria excellentia; tamen materia, in qua id exercetur, est multiplex, & varia. Sic quidam excellentiam quaerunt in nobilitate generis, alii in scientia, alii in opibus, alii in virtute militari, alii in his omnibus vel pluribus simul. Ita, inquit, verisimile est, quòd Angelus quaerens in primo peccato superbiere in propria excellentia, non solum proprium decorem inordinatè appetierit, sed etiam unionem hypostaticam ratione cuiusdam excellentiae, qua nullum alium nisi se existimaverit dignum: ita ut ipse fuerit finis sui, unio hypostatica finis sui, id est, res volita tanquam materia propriae excellentiae, & sic respondet rationi contrariae. Utrum tamen ita de facto contigerit, fatetur rem esse incertam. Haec pro opinione probabilis praestantissimi Theologi.

Dico 4. Objectum, circa quod primum superbiit Angelus, fuit utraque beatitudo, tam naturalis quam supernaturalis, quatenus appetit remanere in beatitudine naturali, in ea complacendo, tanquam in perfectione, & excellentia, sibi naturalitèr de-

debita, & qua aliis creaturis singularitèr praemineret, & recusando beatitudinem supernaturalem, quatenus erat obinenda per gratiam Dei specialem, & debebat esse communis hominibus sibi inferioribus; atque in hoc appetit similitudinem cum Deo, quaerens habere in proprio fundo beatitudinem singularem sibi conaturalitèr debitam, & non ex gratia, & quasi precario, quod est proprium Dei.

Videtur expressa sententia D. Th. hic art. 3. o. ubi dicit: *In hoc appetit indebitè esse Deo similis, quia appetit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute sua natura poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est gratia Dei. Vel si appetit ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suam naturae, non ex divinis auxilio, secundum Dei dispositionem: et hoc consonat dictis Anselmi, qui dicit, quod appetit illud, ad quod pervenisset, si stetit.*

Hanc autem appetitum supernaturalem beatitudinis per virtutem naturae non intelligit S. Thom. de appetitu positivo formali, & expresso, qui non posset esse in Angelo sine errore, quem perpetuo S. Doctor negat fuisse in Angelis, sed de appetitu virtuali interpretativo, & indirecto, quatenus scilicet Angelus recusans beatitudinem supernaturalem, quia erat obinenda volebat illam, si non esset obinenda ex gratia Dei, sed virtute naturae: hocque sensu dumtaxat volebat eam habere per virtutem naturae. Et hoc est, quod exprimit S. Doctor, dum dicit, quòd appetit beatitudinem naturalem, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia: & cum addit, quòd, si appetit supernaturalem beatitudinem voluit illam habere per virtutem suam naturae, non ex divinis auxilio, statim subdit, quòd haec duo in unum quoadmodò redeunt; quia secundum utrumque appetit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, naturalem scilicet appetitu formali, & positivo, supernaturalem appetitu virtuali, & interpretativo, quatenus eam recusavit, quòd esset ex gratia Dei specialis; & admisisset, si non fuisset ex gratia, sed ex virtute naturae. Idem docet S. Doctor 3. contr. gent. c. 110.

Non sunt ergo hic distinguendi duo actus superbiae, unus circa beatitudinem naturalem, alter circa beatitudinem supernaturalem; sed est unus actus, & una superbia, eligens potius sistere in propria, & privata beatitudine, quia singularis erat, & sibi iure creationis conaturalitèr debita, quam habere supernaturalem communem aliis sibi inferioribus; & ex gratia Dei quasi precario; quam tamen non recusaret, si posset habere virtute naturae sine gratia, & sibi propriam, non aliam communendam. Quod totum est superbia, & proprium superbi, qui maluit in inferiori gradu permanere, quam ad altiozem aliorum eum elevare.

Ex quo inferes, nos non reponere primum peccatum Angeli in sola fuga, seu recessu, scilicet in recusatone Beatitudinis supernaturalis, quod supra impugnavimus: sed simul in actu prosecutionis, scilicet in amore permanendi, & quiescendi in beatitudine naturali, tanquam singulari, & conaturalitèr debita excellentia, potius quam habere excellentiorem cum aliis communem, & ex gratia. Et ex hucusque dictis bene perceptis solvuntur objectiones, quae contra hanc sententiam opponi possunt.

Prob. autem haec Concl. 1. ex Patribus. Greg. 34. moral. c. 17. dicit, *Angelos perdidisse participatum celestium, quia privatum desideraverunt.* Aug. 12. de Civit. c. 1. *Mali Angeli, sua potestate delectati, velut bonum suum ipsi essent, a superioribus bono ad propria deflexerunt.* Bern. serm. 17. in Cant. loquens de Angelo malo: *molitus est habere subjectos, scilicet homines) socios dedignatus: Inferiores sunt, inquit, inferioresque natura, non decet esse concives, nec aequales in gloria.* Adde S. Thom. cit.

Prob. 2. ex impugnatione aliarum opinionum; & quia non potest assignari congruentius objectum primae superbiae Angelorum, quam eorum ultimus finis, tam naturalis, quam supernaturalis, inordinatèr appetitus.

ARTICULUS IV.

Utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suae creationis?

Angelos (*Hic art. 5. o.*) in primo instanti suae creationis non peccasse, adè certum est, ut iuxta Auctorem oppositum fuit suo tempore reprobatum ut erroneum a Magistris Parisiensibus: & merito, quia haec opinio contradicit Scripturis; dicitur enim de diabolo sub figura Principis Babylonis Isai. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris.* Et Ezech. 28. dicitur ad diabolum sub persona Regis Tyri: *In diebus paradisi Dei fuisti... Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est in te iniquitas.* Et Joann. 8. dicitur

diabolus in veritate non stetit: ergo, antequam caderet, erat bonus, & rectus. Insuper Angeli fuerunt creati in gratia, aut saltem habuerunt gratiam sanctificantem, antequam peccarent, ut probavimus art. 3. praeced. Dissert. Consule. Quae situr ergo, utrum saltem non potuerint peccare in primo instanti suae creationis.

Dico: Angelus (*Ibid.*) non potuit absolute peccare in primo instanti suae creationis.

Prob. (*Ibid.*) Primus actus voluntatis in Angelis, licet fuerit a voluntate eliciente, fuit tamen a Deo specialiter movente, & applicante: ergo non potuit esse peccaminosus; Deus enim non est principium defectuosum, & alias peccatum in ipsum refundetur. Prob. Ant. Operatio, quae incipit cum esse rei, & est principium ceterarum, qualis est primus actus voluntatis in Angelis, est ab eo, a quo est natura: sic motus cordis in animali, moveri sursum in igne, sunt a generante; atqui natura Angeli est a Deo: ergo.

Confirm. Primum iudicium practicum in Angelo fuit a Deo specialitèr movente, consequenter non potuit esse defectuosum: ergo nec prima volitio defectuosa, quia non est defectus in voluntate, nisi sit defectus in intellectu. Prob. Ant. Istud primum dictamen non potuit esse a voluntate movente, & applicante intellectum, quia antè primum istud dictamen voluntas supponitur in pura potentia; movens autem applicans debet esse in actu: ergo est a solo Deo movente, & applicante, quippe qui solus est Auctor naturae Angelorum, & solus potest intrare mentem illabi.

Obj. 1. Angelus in primo instanti suae creationis fuit liber: ergo potuit peccare. R. D. Ant. fuit liber libertate contradictionis, & quoad exercitium, quatenus potuit velle hoc bonum, vel non velle, C. Ant. libertate contrarietatis, & quoad specificationem, quatenus potuit velle bonum, vel malum, N. Ant. & Conseq.

Inst. 1. Angelus in primo instanti creationis potuit mereri ergo peccare. Prob. Conseq. Quia plus requiritur ad meritum, quam ad peccatum. R. N. Conseq. Quia ad meritum sufficit libertas contradictionis, ut patet in Christo, & in Confirmatis in gratia; ad peccandum verò requiritur libertas contrarietatis. Ad Prob. R. quòd hoc plus reperiebatur in Angelo, quia nempe ejus actus vestebatur omnibus circumstantiis debitis, cum unius defectus sufficeret ad peccandum; & hoc sensu plus requiritur ad meritum, quam ad peccatum; quia bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.

Inst. 2. Angelus ex concessis potuit non velle; erat enim ut dictum est, liber libertate contradictionis: ergo potuit peccare. Prob. Conseq. Supposito quòd tunc aliquis actus illi praeciperetur, ut erat reipsa illi praecceptus actus dilectionis Dei super omnia, potuit illum non velle; atqui non velle hunc actum praecceptum est peccare: ergo. R. N. Conseq. Ad prob. D. Maj. Potuit hunc actum non velle potentia antecedente, & in sensu diviso, C. Maj. Potentia consequente, & in sensu composito, N. Maj. seu aliter, in idem redit: Potuit non velle, quatenus non velle est omissio negativa, & in esse physico, C. quatenus est omissio privativa, & in esse morali, N. Sic Christus, supposito praeccepto Patris de morte subeunda, potuit non mori potentia antecedente, & in sensu diviso, non potentia consequente, & in sensu composito: sive potuit, si *Ly non mori* sumatur negativè, & in esse physico; secus, si sumatur privative, & in esse morali. Neque enim ad hoc; ut voluntas sit libera, requiritur, quòd possit omittere aliquem actum sub omni ratione, sed sufficit, quòd possit illum omittere, quantum est ex meritis objecti. Et sic Angelus poterat omittere actum praecceptum dilectionis Dei ut Auctoris supernaturalis, quia quantum ex meritis objecti, quòd obscure per fidem erat cognitum, proponebatur sub indifferentia iudicii: at non poterat omittere moralitèr, & peccaminosè, in quantum erat praecceptum, quia ejus principium non erat defectuosum.

Ad complementum huius Quaest. 63.

Petes 1. utrum supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes?

R. probabilis affirmativè; (*Ibid.* art. 4. o.) quia motivum peccandi fuit fortius in supremo; peccatum enim Angelorum fuit superbia, ut dictum est, cuius motivum est excellentia propria, quae fuit major in Angelo supremo: & idè Gregor. hom. 34. in Evang. dicit, quòd ille, qui peccavit, fuit superior inter omnes: siquidem videmus contingere inter homines, quòd qui aliis sunt superiores, occasione suae praecellentiae, in superbiam efferantur.

Dices: Ezech. 28. Lucifer, seu primus inter peccantes dicitur Cherubin, sed ordo Cherubimorum est sub ordine Seraphimorum: ergo. (*Ibid.* ad 1.) R. Luciferum denominatum fuisse Cherubin, & non Seraphim, quia Cherubin interpretatur pleni-

tudo scientiæ, & ideo denominatur a scientia, quæ potest esse cum peccato mortali; Seraphin verò interpretatur ardens, & ideo denominatur ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali esse non potest.

Petes 2. utrum peccatum primi Angeli fuerit aliis causa peccandi? (*Ibid. art. 8. o.*) R. Affirmative, non quidem cogendo, sed quasi exhortatione vel exemplo inducens; cujus signum est, quod omnes demones illi supremo subdantur, ut apparet ex illo Math. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo, & Angelis ejus.* Habet enim ordo diviniæ justitiæ, ut cujus suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus

potestati subdatur in penam, secundum illud 2. Petr. 2. *a quis superatus est, hujus & servus est.*

Petes 3. utrum tot Angeli peccaverint, quot remanserunt? (*Ibid. art. 9. o. & in arg. 2. c.*) R. plures remansisse, quam peccasse. Quia 4. Reg. cap. 6. dicitur: *Plures nobiscum sunt, quam cum illis;* quod exponitur de bonis Angelis, qui sunt nobiscum in auxilium, & de malis, qui nobis adversantur. Ratio congrua est; quia peccatum est contra naturalem inclinationem; ea verò, quæ contra naturam sunt, in paucioribus accidunt; natura enim consequitur suum effectum vel semper, ut in pluribus.

DISSERTATIO I. DE POENA DÆMONUM.

D. Thom. Quæst. 64.

ARTICULUS I.

De obsecratione, & obduratione demonum.

Culpam sequitur poena. Inter penas dæmonum, 1. loco Auctor recenset eorum obsecrationem, deinde obstinationem in malo. Obsecratio est privatio cognitionis veritatis; obstinatio est firmitas in peccato, per quam quis ab eo reverti non possit. Circa obsecrationem dæmonum nulla occurrit difficultas: unde sit breviter

§. I. De obsecratione demonum.

Dico: (*Hic q. 64. art. 1. o.*) Naturalis cognitio speculativa dæmonum non est ablata, nec diminuta; quia consequitur ipsam naturam Angeli, qui secundum naturam est intellectus, vel mens: unde communiter dicitur ex Dionysio c. 4. de divin. nomin. quod *dona naturalia in eis integra manent.*

Cognitio (*Ibid.*) supernaturalis speculativa non est in eis totaliter ablata, sed diminuta; quia de secretis divinis tantum revelatur eis quantum oportet, vel mediante bonis Angelis, vel per aliqua temporalia divina virtutis effecta.

Cognitione (*Ibid.*) verò supernaturali affectiva, & effectiva producente amorem Dei sunt totaliter privati, sicut & charitate, quæ nullum habent bonum affectum ad Deum, aut ad quiddam in ordine ad Deum.

Dixi in 1. parte conclusionis: *Naturalis cognitio speculativa:* Videtur enim, practicum, & effectivam esse valde imminutam, eos quoad illam excæcantes superbia, invidia, odio in Deum, & obstinatione in malo: idque docet Aug. Enchirid. c. 24. & 25. g. de civit. c. 22. & libr. 20. c. 1. S. Thom. q. 16. de malo art. 6. ad 13. & 15. unde, quando communiter dicitur ex S. Dionysio naturalia in dæmonibus manere integra, intelligitur, ut jam antea monimus, de naturalibus in esse physico, & quoad entitatem, scilicet de substantia, potentia naturalibus, intellectu, & voluntate, & de speciebus omnibus intelligibilibus naturaliter eis inditis; non vero quantum ad usum earum specierum in ordine ad praxim, in qua, stante speculativa cognitione vera, possunt deficere, & errare.

§. II. De obstinatione demonum.

SUPPONENDA, ET PRÆNOTANDA.

Suppono (*Ib. art. 2. o.*) tanquam certum de fide contra Originem, qui dixit Angelos bonos, & Sanctorum animas post certas annorum revolutiones peccatum, & damnationem incursum; demones e contra, & homines damnatos ad penitentiam, & felicitatem redituros; & iterum hos casuros, & illos resurrecturos. Suppono, inquam, tanquam certum de fide, demones ita esse obstinatos in malo, ut ad bonum reverti non possint, nec a sua malitia converti. Id constat ex Scriptura attestante continuationem eorum culpæ, & perpetuitatem pœnæ, quæ non posset esse perpetua, si a culpa posset damnatus resipiscere.

Quantum ad continuationem culpæ constat ex illo Ps. 37. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper: si semper ascendit, nunquam cessat.* Ps. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi.* Eccl. 9. *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud Inferos.* Joann. 9. *Veni nox, quando nemo potest operari.* Et ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Quantum ad perpetuitatem pœnæ, constat ex illo Math. 25. *Ite maledicti in*

ignem æternum, qui parati estis diabolo, & Angelis ejus. Et infra: *Ibunt hi in supplicium æternum;* atque ita definitum est ab Innocentio III. in Concil. gener. Lateran. Refertur c. *Firmiter* de summ. Trinitate. Sed (*Q. de verit. art. 10. & q. 16. de malo art. 5.*) quæstio est, unde proveniat hæc obstinatio dæmonum. Potes duplex causa assignari: una extrinseca ex parte Dei denegantis gratiam; altera intrinseca ex parte voluntatis creata immobiliter adhærentis peccato: quia, sicut ad liberationem a peccato duo concurrunt, divina gratia principaliter operans, & creata voluntas gratiæ cooperans, ita causa obfirmans in malo partim accipienda est ex Deo, non quidem faciente malitiam, sed non largiente gratiam, partim ex voluntate creata adhærente malo.

De 1. causa convenit inter Theologos, ratioque petitur ex statu damnationis, in quantum est communis Angelis, & hominibus. Est enim status ultimi termini, status summæ miserie, & status retributionis secundum rigorem justitiæ. Quatenus est status ultimi termini, exigit carere auxilio dirigente ad terminum. Quatenus est status summæ miserie, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, Job. 10. ubi nec opus, nec ratio, nec scientia erunt, Eccl. 9. exigit carere omni auxilio ordinante ad bonum, & rationem. Quatenus tandem est status rigorosæ justitiæ, exigit, ut qui in via abiicit gratiam, qua se ordinaret ad debitum finem, positus in termino, illa privetur.

Occurrit tamen difficultas: quomodo damnati peccant in eo statu? Non enim possunt facere bonum sine auxilio sufficienti: qui autem non potest facere bonum, non peccat illud non faciendo, quia ad peccandum requiritur, quod aliquis possit facere, & non faciat, quod lege præceptum est.

R. Damnatos in eo (*Q. cit. de malo ad 11.*) statu damnationis, & obstinationis peccare, quia illum ex libera voluntate incurserunt; sic tamen quod per hujusmodi peccatum non demerantur, & quod tota ejus malitia sit referenda ad præcedentem culpam, qua liberè in præsentem necessitatem incidit: sicut contingit in ebrio blasphemante, cujus blasphemie malitia refertur ad voluntatem, qua se liberè inebriavit. Confer, quæ dixi tract. de Deo, Dissert. 6. art. 8. §. 2. probat. 5. & in sol. obj. objectione 4.

Quantum (*Hic art. 2. o. q. cit. de malo & de verit. & 4. c. c. g. 95.*) ad causam intrinsecam obstinationis dæmonum assignatur ab Auctore inflexibilitas, & immobilitas in cognoscendo, & appetendo id, ad quod semel post plenè deliberatam electionem se determinaverunt. Quod intellecta difficile multis apparet. Unde quidam etiam ex Thomistis id intelligunt de inflexibilitate, & immobilitate morali, quatenus Angelus difficile potest retractare, quod semel plenè deliberatè voluit, quia, cum cognitio ejus sit perfecta, difficile mutat sententiam. Sicut inter homines, quod homo est sapientior, & attentius considerat, quæ facturus est, eò difficius mutat sententiam.

Alii intelligunt, non de apprehensione, & electione cujusvis boni, sed de apprehensione, & electione illius boni, quod Angelus sibi tanquam ultimum finem pleno judicio, & plena libertate apprehendit, & appetit; quia Angeli per talem electionem seu appetitum desinunt esse in via, & sunt in termino, sicut homines per mortem. Sicut autem homines post mortem sunt immutabiles in bono vel malo fine, in cujus appetitione moriuntur, non quidem ex natura sua vel propriis viribus, sed ex denegatione vel confortatione gratiæ; ita Angeli post deliberatam appetitionem ultimi finis sunt in eo immobiles, non tamen ex natura sua, & ex propriis viribus, sed ex negatione vel collatione gratiæ. Hunc utrumque modum proponit Syrius, nec alium admittit.

Va-

Verum communis Thomistæ intelligunt S. Thom. de inflexibilitate Angelorum in malo, sumpta non moraliter pro magna difficultate respicienti, sed pro vera, & simpliciter impossibilitate, secundum tamen legem Dei ordinariam. Item & de inflexibilitate ex natura, & modo connaturali agendi Angelorum. Cum quibus sit

Resolutio difficultatis.

Dico: (*Ibid.*) Angelus, secundum connaturalem modum suum procedendi, immobiliter adheret fini, ad quem semel ex certo judicio, & perfecta deliberatione se determinavit, & hæc immobilitas est causa intrinseca obstinationis dæmonum.

Dixi: *ex certo judicio,* quo scilicet Angelus procedit ex principiis certis, & evidentibus cognitis, in quibus comprehensivè videt, quæcumque in eis continentur: si enim procedat ex principiis dubiis, & conjecturalibus tantum, fatemur tale judicium non esse firmum, nec immobilitatem inducere, in eoque, sicut in voluntate consequente, Angelum posse variare. Quamobrem Angelus Persarum Dan. c. 10. qui primò contradixerat Angelo Israhelitarum, volenti eorum liberationem, cognita postmodum per Michaëlem Archangelum Dei voluntate, annuit eorum liberationi. Similiter demones, conjectantes Christum esse purum hominem, procuraverunt ejus mortem per Judam; postea apprehendentes ipsum esse Salvatorem hominum, mutaverunt consilium, & conati sunt per uxorem Pilati impedire ejus mortem.

Dixi 2. *ad quem ex plena, & perfecta deliberatione se determinavit,* id est, ad quem sui juris factus proprio motu, & cum libertate contrarietatis se determinavit, & non specialiter a Deo motus, & applicatus cum sola libertate contradictionis, ut in 1. instanti creationis, in quo ideo non mirum, si non fuerit inflexibilis, sed in 2. instanti sui juris factus, mutaverit.

Prob. Conclusio. (*Ibid.*) Dictamen, seu judicium practicum certum, & completum ab Angelo formatum, quale fuit cum de ultimo fine deliberavit, attentio modo ejus connaturali procedendi, est irrevocabile & irreflexibile: ergo voluntas per tale judicium regulata est pariter irrevocabilis & irreflexibilis. Patet Conseq. quia vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehensivæ, a qua movetur: sic quia sensus est apprehensivus singularium, appetitus ad eum sequens est boni particularis; & quia intellectus est universalium, voluntas ad eum sequens est boni universalis. Unde communiter dicitur, quod voluntas non fertur nisi in cognitum, & eo modo, quo est cognitum.

Prob. Ant. in quo est difficultas. Angelus non discit, sed uno, & eodem intuitu comprehensivè cognoscit principia, & conclusiones, finem & media, id est, uno & eodem indivisibili actu cognoscit omnia, quæ habere possunt convenientiam, vel inconvenientiam: sive necessariorum, sive contingenter, cum principis, aut cum fine: ergo immobiliter, & irrevocabiliter apprehendit. Prob. Cons. Ideo nos immobiliter, & irrevocabiliter apprehendimus prima principia, v. gr. quodlibet est vel non est, conclusiones verò mobiliter & revocabiliter; quia prima principia uno intuitu, & sine discursu apprehendimus, conclusiones verò per discursum, in quo datur locus errori: ergo.

Confirmatur 1. Ut Angelus prius judicium certum, & completum circa aliquod objectum mutaret & revocaret, deberet in eo apprehendere aliquas novas rationes, quas prius non apprehenderat; atqui id non potest, cum, ut dictum est, uno & indivisibili actu comprehensivè apprehendat conclusiones in principis, prædicata in subjectis, & omnia, quæ cum illis convenientiam aut inconvenientiam habent: ergo.

Confirm. 2. Ideo homo potest mutare falsum judicium practicum de aliquo objecto, quia illud format vel ex passione, quæ deservescere, aut a fortiori contraria superari potest; vel ex habitu, qui etiam a contrario potest vinci; vel tandem ex ignorantia circa aliquod particulare eligibile, quæ potest corrigi per rectam apprehensionem ultimi finis remanentem, quippe quæ se habet in operabilibus sicut primum principium in speculabilibus; atqui hæc tria in Angelis non possunt habere locum; non primum, aut secundum, quia Angelus non peccavit ex passione, aut habitu, quibus caret; non tertium, quia peccatum ejus fuit circa ultimum finem: ergo.

Dicendum itaque, quod, dum Angelus in 2. instanti suæ creationis sui juris factus deliberavit de suo fine, comprehensivè cognovit suam excellentiam naturalem, & omnia, quæ ad illam appenderam, vel recusandum conducere poterant, & simul finem supernaturalem lumine fidei propositum; & actu, quo judicavit practice in excellentiam propria ut in fine ultimo esse sistendum, eodem recusavit lumen supernaturale evocans ad finem supernaturalem, nec voluit ab ipso dirigi; ita ut, quavis finem supernaturalem in ratione veri certo, licet observare, cognoverit, practice tamen ejus manifestationem ut

affectivam boni repudiavit, sicutque ejus inconsideratio non fuit ex ignorantia, sed omnino volta & affectata interpretativè. In summa: Angelus in 2. instanti suæ creationis non solum deliberavit de uno fine assequendo, sed etiam de altero recusando, & excludendo: ergo omnia motiva, quæ possunt movere ad utrumque, eodem indivisibili actu fuerunt visa & expensa, & cum certa utriusque cognitione unum fuit assumptum, aliud relictum; nulla ergo nova ratio apprehendi potest, quæ mutet prius judicium practicum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Juxta Damasc. l. 2. de fide c. 3. Isidorum de summo bono, Aug. de corrept. & grat. c. 10. & 11. Angeli sunt ex natura sua mutabiles: ergo. Confirm. Fulgent. l. 1. de fide ad Petrum c. 3. dicit: *Si possibile esset, ut humana natura, postquam a Deo averta boni item perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multò possibilis hoc natura haberet Angelica:* ergo supponit Angelum esse mutabilem in respiciendo, sicut hominem. R. Laudatos Patres equidem docere Angelos esse mutabiles ex sua natura: at non dicunt, esse mutabiles per retractionem, seu postquam semel plenè deliberatè elegerunt. Verificatur ergo, Angelos ex natura sua esse mutabiles. 1. Circa finem, quem prius minus deliberatè voluerunt, & quem postea magis deliberatè respicerunt. 2. Circa diversa objecta particularia, quæ de novo accidunt, & circa quæ habent novos effectus, subordinatè tamen ad finem, quem semel plenè deliberatè amplexi sunt. Ad Confirm. N. Conseq. Quia Fulgentius non instituit comparationem inter Angelum & hominem quantum ad modum operandi mutabiliter, vel immutabiliter, sed quantum ad gratiam & virtutem supernaturalem requisiram ad conversionem; & dicit, quod, si hæc gratia seu virtus esset connaturalis homini, esset etiam Angelis. Utrum autem quantum ad exercitium humani virtutis, si homo ex natura sua sit redescibilis, etiam sit Angelus, non dicit Fulgentius.

Obj. 2. Sancti Angeli habent solam ex gratia, quod sint immutabiles in bono: ergo non sunt ex natura sua inflexibiles, aliis non indigerent gratia, sed solum quod connaturali modo operarentur. R. D. Ant. Sancti Angeli habent solum ex gratia, quod sint immutabiles in bono potius, quam in malo, C. Ant. quod sint immutabiles in bono, vel in malo, N. Ant. ad cujus sensum, D. Conseq. Quavis ergo Angeli ex suo connaturali modo agendi perant inflexibilitatem sive in bono, sive in malo; quod tamen ista sit in bono potiusquam in malo, non est ex natura Angeli, sed ex magna gratia, quam Angeli boni præ malis habuerunt, & quæ illorum connaturali modo agendi accomodata in eis perseverat. Insuper per gloriam redduntur immutabiles circa supernaturalia, quod ex natura sua non habent.

Obj. 3. Diabolus peccavit ex inconsideratione regulæ, & boni supernaturalis: ergo potest nunc considerate, maxime malo suo doctus, quod non sit sibi conveniens velle sistere in fine naturali, & supernaturalem non esse acquisibilem propriis viribus, sed ex gratia Dei, sicutque revocare prius judicium. R. D. Ant. Angelus peccavit ex inconsideratione regulæ, & boni supernaturalis volta & affectata, C. Ant. ex consideratione proveniente ex ignorantia, N. Ant. Non ignorabat quippe Angelus, ultimum finem suum non esse situm in sua naturali excellentia, neque finem supernaturalem, ad quem evocabatur, esse assequibilem propriis viribus, & cum dedignando damnationem sibi acquirere; hæc, inquam, omnia speculative cognoscere: sed, his non obstantibus, maluit superbus proprio & singulari bono herere, atque in eo emicere, quam beatitudinem supernaturalem habere ex beneficio alterius, & cum hominibus communem. Unde eodem indivisibili actu, quo propriam excellentiam appetit ut finem, supernaturalem recusavit & despicit, lumineque gratiæ ad illam dirigenti voluntariè mentis oculos clausit, ad illudque in praxi attendere contempsit. Et in hoc sita est ejus consideratio, sicutque totum, quod potuit videre & nunc videt, vidit tunc & prævidit, ideoque nulla ipsi suppetit ratio prius judicium practicum revocandi. (*Q. 6. de mal. art. 3. ad 3.*) Et quavis illud cognoscere speculative se peccatum admisisse, non tamen illud apprehendit affectivè & practice quasi malum culpæ, sed in eodem peccato superbiè inflexibiliter perseverat, imò progreditur & crescit, juxta illud: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Obj. 4. & simil. instabis: Angelus post electionem manet liber: ergo non est inflexibilis. R. 1. Hoc argumentum esse ab omnibus solvendum. Sit enim Angelus inflexibilis & obfirmatus in malo ab intrinseco, ut sustinemus; vel ab extrinseco tantum, ut omnes admittunt, perinde est, & æquè nocet libertati, si nocet. R. 2. N. Conseq. Quia ad libertatem non requiritur, quod possit retractare, quod semel liberè voluit; id enim perinet ad imperfectionem nature, ut patet in Deo, cujus decreta liberè posita sunt immutabilia: sed sufficit, quod ante resolutionem

po-